



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Prvdentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. XXI. Monet mortis memoriam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

Quid quæritis delectationes impuras?
Ad vera potiùs, & æterna gaudia, breui
luctu, suspirate.

Cap. X X I.

Monet mortis memoriam.

VTINAM Filij Adæ saperent, &
intelligerent, ac nouissima pro-
viderent; Vtinam & vos, qui non vide-
mini repellere consilia mea, sæpe, ac
serio cogitaretis, qualis anxietas in
hora mortis ventura sit. Certè mundi
desideria statim euanescerent, nequè
in æternū peccaretis. Omnes ad mor-
tem velociùs, quam à texente tela suc-
ciditur, properatis, paucitasque die-
rum nimis breuium finietur breui: &
tamen mortis vix vnquam recordami-
ni. Palatia sumptuosa, promptuaria
plena, filiarumque vestrarum circumornata,
vt similitudo templi, aperte demon-
strant, quid inter vos ipsos meditemi-
ni. Quid scitis, an prima, an media no-
cte, an galli cantu, venturus sim, & in
virga directionis rationem vitæ peti-
turus? Ego dinumero gressus vestros,
& tanquam in sacculo, signo debita ve-
stra,

stra, quasi celeriter æs alienum exacturus: & vos mortem, nec per horam, cogitatis? Non placet mihi grauis obliuio hæc, ob quam puniui ciuitatem meam Ierusalem. Cùm enim essent sordes eius in pedibus eius, non est recordata finis sui. Si enim finem cunctorum uiuentium præuidisset, quomodo pedes inquinasset? Transitus illius memoria cor premit, ne altum sapiat; sed in timore, ac tremore salutem operetur. Propter quod, filij mei, inter negotia, & gaudia sæculi, frequenter mortis agonem, doloremque pensate: Ut per uias rectas iustitiæ; ac immaculatę legis meę, alacriter tendentes, in æternum non pereatis: sed tanquam fideles, ac solliciti serui, statim ac uenero, & pulsauero, confestim aperiatis mihi, & intretis in æternum gaudium Altissimi Patris mei.

CAP. XXII.

Monet Iudicij timorem.

QUI iustificari quæritis, timete abyssum iudicij mei, in quo causas omnes filiorum Adæ, cùm accepero tempus, iudicabo. Dum ego culpas hominum